



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Qvæstio XVIII. De vita Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

comparatione eiusmodi regularum, ac legum diuinarum, nihil potest habere rationem falsi, aut peccati. Quod fit, vt nihil in rebus, vt à Deo, etiam id permittente, habere possit rationem peccati.

Secunda conclusio. In operationibus & effectibus causarum secundarum agentium per intellectum ac voluntatem potest esse falsitas, & peccatum, tum comparatione regularum in ipsis existentium, siue præceptionum artis atque prudentia: tum etiam comparatione præceptionum artis & prudentia diuina, quibus Deus iudicat & præscribit modum, quem seruare debent, vt operationes & effectus earum tales essent, quales oportet. Probatur hæc conclusio, quoniam discrepantia rei à sua propria regula & mensura intellectus, est falsitas & peccatum, non quidem in ipsa regula, sed in re, quæ ab ea discrepat: cum ergo actiones & effectus huiusmodi causarum non minus ab arte & diuina prudentia regulentur, quam ab arte, & prudentia propria ipsarummet causarum, quæ à diuina deriuantur: fit, vt in illis, quando à regula discrepant, non minus cernatur falsitas & peccatum comparatione artis & prudentia diuina, quam artis & prudentia propria ipsarummet causarum.

Tertia conclusio. In actionibus & effectibus causarum merè naturalium, quando motum non seruant naturæ inditum ac præscriptum, vt quado generantur monstra, datur falsitas & peccatum, comparatione tamen regularum artis & cognitionis, quæ versatur circa modum, quem seruare debent, vt actiones & effectus essent quales oportet: quæ tamen regulæ non sunt in ipsis: sed in diuina mente. Quod fit, vt falsitates, & peccata naturæ, sint comparatione regularum artis diuina, non quibus Deus iudicat modum, quem ipse seruare deberet in peccatis illis permittendis, sed quibus iudicat modum, quem causæ ipsæ naturales deberent seruare, vt actiones & effectus earum essent, quales oportet. Itaque cum dictamine artis diuina, quo Deus iudicat modum, quem singulæ causæ naturales seruare deberent in suis operationibus & effectibus, consentit optimè dictamen aliud prudentia & sapientia ipsius, quo iudicat, conuenientissimè à se mundi huius machinam ita fuisse fabricandam, ac rerum seriem ita fuisse disponendam, vt essent causæ, quæ interdum impedirent alias, ne suos effectus accommodatè ad suas regulas, & naturas producerent: vt essent causæ liberae, quæ sua sponte, atque pro innata libertate aberrare possent à suis regulis, ac proinde peccare.

Opera ergo causarum secundarum, siue libera sint, siue naturalia, si deuient à suis regulis, dicuntur peccata, falsitates, & mendacia, iuxta illud Psalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium. Si verò cum suis regulis consentiant, dicuntur veritates, iuxta illud Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem. Atque huiusmodi veritas, quæ circa agibilia cernitur in causis secundis liberis, veritas vitæ appellatur.

Circa vltimum articulum animaduertendum est, verum & falsum, si spectentur quoad relationes conformitatis, aut discrepantia à suis regulis, non esse contraria, sed habere se sicut simile, & dissimile. Quemadmodum enim eadem qualitas comparatione diuersarum qualitatum potest esse similis & dissimilis: ita eadem existimatio, qua quis existimat Socratem sedere, comparatione sessionis Socratis, dum sedet, est vera: comparatione verò Socratis non sedentis, est falsa: quoniam vera contradictio est, Socratem simul sedere & non sedere, contradictionem

A etiam inuoluit, eandem existimationem simul veram esse & falsam, quod ex repugnantia obiecti veritatis cum obiecto falsitatis vnius & eiusdem existimationis provenit. Duæ autem existimationes de eadem re; altera vera, & altera falsa, vt existimatio quod Socrates sedeat, & existimatio quod Socrates non sedeat, esse nequeunt simul in eodem subiecto: eò quod existimationes ipsæ, in quibus fundantur relationes conformitatis cum obiecto, & discrepantia ab obiecto, contrariantur inter se, atque de vero & falso sumptis hoc modo asseruit hoc loco D. Thomas, verum & falsum opponi contrariè: id tamen intelligendum est, quando veritas & falsitas in oppositis existimationibus de eadem re cernuntur: ac tunc quidem non ratione relationum conformitatis & discrepantia, sed ratione ipsarum existimationum, in quibus eæ relationes fundantur: existimationes namque eiusmodi, non relationes, inter se contrariae sunt.

QUESTIO XVIII.

De vita Dei.

DISPUTATIO VNICA.

Quid sit vita, & an Deo conueniat.



VAMQVAM quaestio hæc ante quatuor præcedentes meritò tractari poterat: eò quod si sumatur vita pro essentia, vnde opera vitæ emanant, nostro intelligendi more antecedit actus intelligendi ac volendi diuinos: si verò pro operatione vitæ, communis sit cognitioni ac volitioni diuina: quia tamen vita essentialis ex operationibus vitæ à nobis cognosci solet, placuit D. Thomæ explicare prius ea quæ ad cognitionem diuinam spectant, indeque ostendere vitam in Deo reperiri.

Quaestio ergo proposita facilis est. Ea verò sola viuere dicuntur, quæ constituta in sua naturali dispositione, se ab interno principio mouent: id quod plantis etiam conuenire videmus. Quare grauiæ & leuiæ, quia non ita sese mouent, nisi extra suam naturalem dispositionem constituantur, non sunt viuentia. Vtrum autem in seipsis habeant principium efficiens principale suorum motuum, an verò solum instrumentale, moueanturque à generante tamquam à mouente principali, diximus octauo Physicorum.

Cæterum vita duobus modis sumitur. Vno, pro essentia, vnde primò emanat huiusmodi motus seu operatio rei viuentis. Altero verò, pro operatione ipsa. Illud dicitur in viuentibus vita essentialis: hoc verò vita accidentaria.

Deinde, cum Deus à seipso habeat quod intelligat, diligat, & fruatur seipso, manifestum est eum esse viuentem: essentiamque ipsius esse vitam essentialem. Imò cum à nullo alio accipiat suam essentiam: reliqua verò ab eo accipiant suas essentias & naturas: constat Deum maximè à seipso exercere opera vitæ, ac proinde non solum esse primum viuentium, sed etiam inter omnia viuentia perfectissimum. Præterea, cum creata omnia eminenter sint, tum in essentia diuina, tum in arte ac scientia diuina, tamquam arte facta in arte, qua cognita & producta sunt, eodemque modo sint in Verbo diuino tamquam in sapientia genita & arte Patris: consequens est, vt creata omnia, non quidam secundum esse quod habent in seipsis, sed secundum esse eminentius

Secunda conclusio. In operationibus & effectibus...

Tertia conclusio. In actionibus & effectibus...

Vita essentialis...

Verum & falsum...

Quemadmodum...

Ratio ordinis.

Vitæ quæ dicuntur.

Deus viuens & vita: & sunt vita.

nentius quod habent in diuina essentia, sapientia, atque in Verbo æterno, quod quidem esse est ipsemet Deus, sint in Deo vita, iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vtrumque verò de fide est, & Deum esse viuentem, & creata omnia in Deo vitam esse. De hoc secundo diximus etiam quæst. 4. artic. 2. & quæst. 15. artic. 1. disput. 1.

A qui nullam potest habere causam, qualis est actus voluntatis diuinæ: quare actus, quo Deus seipsum diligit, habet pro obiecto bonum, sed non finem.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Deus velit alia à se.*

DISPUTATIO I.

**P** R I M A conclusio. Deus vult alia à se. Hæc est de fide, patet ex illo 1. ad Theſſalon. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Ex testimonio item Plal. 113. artic. præcedente citato, & ex multis aliis. Cùm autem Deus liberè velit alia à se, potueritque nihil eorum velle, probari nequit, Deum re ipsa velle alia à se, nisi vel ex diuina reuelatione, vel ex effectu, nempe ex existentia creaturarum. Ex quibus euidenter probatur esse vnã primã causã omnium, quam Deum appellamus, vt quæst. 2. artic. 3. ostensum est: eamque agere per intellectum & voluntatem, vt ibidem, & quæst. 14. artic. 1. probatum est: vnde euidenter colligitur, Deum velle existentiam creaturarum, ac proinde alia à se. Quare ratio D. Thomæ hoc loco ex inclinatione naturali, quam res naturales habent, vt communicent ac diffundant proprium bonum, non est ad probandum Deum re ipsa velle alia à se, sed ad probandum, voluntatis diuinæ esse, posse velle alia à se, consentaneumque esse cum diuina bonitate, Deumque proinde decere velle re ipsa alia à se, suam bonitatem illis communicando, ea ratione qua communicari potest, nempe producendo participationes quãdam eius, aut etiam visionem sui, vel per vnionem hypostaticam seipsum communicando: non verò producendo aliquod creatum eiusdem rationis secundum: quoniam id nulla ratione esse potest.

**C** Secunda est. Deus vult se vt finis: alia verò propter se tamquam propter finem. Hæc est etiam de fide, vt constat ex illo Apocal. 22. *Ego sum, alpha & omega, principium & finis.* Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Isaia 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.*

DISPUTATIO II.

*Vtrum velle alia à se sit perfectio in Deo?*

**D** Vbiũ non est, actum voluntatis diuinæ, quatenus terminatur ad diuinã essentiam, vt rem volitam & amatam, quatenus item terminari ulterius potest in creaturas, quo pacto causa est potens eas producere, perfectionem esse in Deo: sed difficultas est, vtrum idem actus, vt terminatur ad creaturas, vt ad res actu volitas vt sint, quod necessarium est, si actu earum causa esse debet, sit perfectio in Deo quoad id, quod huiusmodi actus addit supra seipsum priori modo spectatum.

**F** Caietanũ hoc loco, & articulo sequenti aduertat, esse perfectionem in Deo: liberam tamen, ac voluntariam, quare proinde potuerit non esse in Deo: & talem, vt oppositum illius nullam in Deo dicat imperfectionem.

Potest verò hæc sententia probari. Primum, quoniam Deus ab eo quod actus ille addit supra seipsum priori modo spectatum, habet quòd sit causa actu creaturarum: ergo est perfectio in Deo. Patet consequentia, quoniam potentia, principiumve efficiens creaturarum, est perfectio in Deo.

Secundò.

QVÆSTIO XIX.

De voluntate Dei.

ARTICVLVS I.

*Vtrum in Deo sit voluntas.*

**D** I S P U T A T deinceps D. Thomas de iis, quæ ad diuinã voluntatem spectant. Quamuis autem in hoc articulo miscet interdum sermonem de potentia, potissimum tamen loquitur de actu. Si namque ostenderit actum voluntatis Deo conuenire, inde elucebit, potentiam eidem conuenire. Vt enim autor est Aristoteles in libro de somno & vigilia: *cuius est actus, eius est potentia: resque per se satis manifesta est.*

Prima ergo conclusio sic habet. In Deo est voluntas. Quæ conclusio est de fide, vt patet ex illo Plal. 113. *Omnia quocumque voluit fecit.* & ex multis aliis testimoniis Scripturæ sacræ. Deinde probatur. Primum, quoniam omne intelligens est etiam volens: Deus est intelligens: ergo & volens, ac proinde in eo est voluntas. Consequentia est manifesta: minor verò demonstrata quæst. 14. Maior ostenditur, quoniam quemadmodum formam naturalem consequitur appetitus naturalis, qui inclinatio quãdam est, & propensio in id, quod est sibi accommodatum, in quo quasi complacet, & quiescit dum ad est, in idemque quasi desiderio tendit dum abest, consequiturque eiusmodi appetitus formam naturalem prævia cognitione in autore naturæ, qui propensionem cuique rei tribuit ad suã naturam accommodatè. Quemadmodum item cognitionem sentientem sequitur appetitus sensitiuus, quo animal actu elicitò tendit in bonum sensu apprehensum, in eoque adepto conquiescit & gaudet: ita cognitionem intellectus sequitur appetitus intellectiuus, qui est voluntas, quò intelligens fertur actu elicitò in bonum intellectu apprehensum, in eoque obtento quiescit, delectatur, & gaudet: ergo omne intelligens est etiam si apte natura volens. Secundò Deus agit per intellectum & voluntatem, vt q. 14. artic. 1. ostensum est: ergo in Deo est voluntas. Tertiò, Deus est summè beatus: sed ad perfectionem beatitudinis requiritur gaudium & delectatio: quæ est actus voluntatis: ergo in Deo est voluntas. Quartò, voluntas est perfectio simpliciter, quam in vnoquoque melius est esse, quàm non esse: ergo formaliter est in Deo.

Prima conclusio. In Deo esse voluntatem probatur.

Appetitus triplex explicatur.

Secunda conclusio. Velle diuinum est idem cum essentia diuina. Hæc eidem rationibus probari potest, quibus q. 14. artic. 4. probatum est, intelligere diuinum esse idem cum essentia diuina: qua de causã hoc loco D. Thomas non probat.

Circa primum argumentum D. Thomæ repetere animo id, quod ostendimus supra in calce quæst. 5. Bonum esse obiectum actus cuiusque voluntatis, etiam diuinæ, rationem autem finis non esse opus vt coniungatur cum obiecto actus eius voluntatis,

Secunda conclusio. Velle diuinum idem esse essentia.

Prima conclusio. Deum velle alia à se.

Secunda conclusio. Deus quomodo est se, & alia vult.

Caietanũ sententia.

Probatũ primum.